



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XVII. Vt episcopi, praelati & rectores habeant quaestiones sigillatim.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

XV.

Firmiter inhibemus, ne presbyteri peregrini vel ignoti ad Missarum solennia celebranda in publico admittantur, nisi per literas testimoniales, vel canonice de ipsorum ordinatione ecclesiarum praelatis & rectoribus fiat fides.

XVI.

Placuit nostro sancto Concilio, vt nullus se notarium publicum asserens, in officio tabellionatus aliquatenus admittatur, nec credatur eius instrumento, nisi coram loci ordinario vel eius officiali de suo officio faciat plenam fidem, cum saepe ex notariis incognitis & imperitis grandia pericula soleant prouenire.

XVII.

Dudum fuit in nostra prouincia constitutum, vt episcopi suffraganei omnes prouinciales constitutiones habeant sigillatim, easque suis subditis, sicut iuris est, studeant publicare. Verum, quia huiusmodi statutum fructum modicum hucusque produxit: Nos igitur illud ampliare, & poenae adiectione vallare volentes, ne ipsarum ignorantiam ipsi vel subditi praetendere valeant, vel quoslibet allegare, statuimus, & districte praecipiendo mandamus, quatenus omnes & singuli ecclesiarum praelati, archidiaconi ac parochi, ecclesiarum rectores, tam legatorum sedis apostolicae, quam nostras & praedecessorum nostrorum constitutiones scriptas habeant, quas non habentibus de nostra cancellaria praecipimus exhiberi, sub petentium tamen sumptibus & expensis. Quod si

ipsi prælati & archidiaconi infra sex mensium spatium a data præsentium, rationabili causa cessante, ipsas per se vel alios non receperint, seu habuerint, ipsos & quemlibet ipsorum, qui in hoc negligens vel remissus fuerit, eo ipso ab ingressu ecclesiæ suspendimus, donec a suo superiore absolutionis beneficium meruerit obtinere.

Acta sunt hæc Saltzburgi in nostro archiepiscopali palatio anno Domini MCCCLXXXVI. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini, domini Urbani diuina prouidentia papæ VI. anno VIII. mensè Ianuario.

CONCILIVM PALENTINVM

ANNO  
CHRISTI  
1388.

SVB PRÆSIDIO PETRI DE LVNA ANTICARDINALIS in Hispania, (quæ adhuc isto tempore Clementi antipapæ adhærescebat) celebratum, anno Domini MCCCLXXXVIII. tempore Urbani papæ VI.

TITVLI CAPITVLRVM.

- |   |                                       |
|---|---------------------------------------|
| I. De officio ordinarii.                    | IV. De rebus ecclesiæ non alienandis. |
| II. De cohabitatione clericorum & mulierum. | V. De Iudeis & Sarracenis.            |
| III. De clericis coniugatis.                | VI. De feriis per infideles colendis. |
|   | VII. De adulteris.                    |

PRÆFATIO.

Hæ sunt constitutiones reuerendissimi in Christo patris ac domini, domini Petri de Luna sanctæ Mariæ in Cosmedin sacræ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, in Hispaniarum partibus apostolicæ sedis legati, vulgari-ter cardinalis de Aragonia, vel de Luna nuncupati.

*Petrus miseratione diuina sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis, apostolicæ sedis legatus, ad perpetuam rei memoriam.*

**Q**VIA disponente patre luminum ex iniuncto nobis legationis officio curam gerimus cleri & populi Hispaniarum, circa illa attentis studiis ac studiosis affectibus